

h. II, 22.

Vd
3003

AD

IVSTA FVNEBRIA

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO

POLONIARVM REGI

MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE,
MASOVIAE, SAMOGITIAE, KYOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE,
PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE ET SCHERNICOVIAE,
DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE ATQVE MONTIVM, ITEM ANGRIAE
AC WESTPHALIAE, SACRI ROM. IMPERII ARCHIMARESCHALLO ET ELE-
CTORI, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, ET SVPE-
RIORIS PARITER AC INFERIORIS LVSATIAE, BVRGRAVIO MAGDEBVRGI,
COMITI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE, COMITI MARCAE,
RAVENSBERGAE, BARBY ET HANOVIAE, DYNASTAE

IN RAVENSTEIN

DOMINO AC NVTRITORI SVO

QVONDAM CLEMENTISSIMO

PATRIAE PATRI INDVLGENTISSIMO

NVNC DESIDERATISSIMO

AB

ACADEMIA LIPSIENSI

DIE XXII. NOV. A. R. G. CIDIICCLXIII.

HORA IX.

IN TEMPLO PAVLINO PERSOLVENDA

INVITAT

ACADEMIAE RECTOR.

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



INSTITUTUM
FREDERICUS AUGUSTUS
MAGNO DUCHI
ACADEMIA
FREDERICUS AUGUSTUS
MAGNO DUCHI
ACADEMIA

DOMINO AC VTRIQVE
PATRIAE PARI INDIVISIBILISSIMO
MAGNO DESIDERIO

ACADEMIAE RECTOR
IN SENIO PAVLINO PERSOLVENDA
ACADEMIAE RECTOR

LISTAE
EX OFFICINA LANGENSIS





Non rata fuere Deo, rerum humanarum arbitrio, vota, quae nuper, in pace noua, et reditu PATRIAE PATRIAE exoptatissimo, suscepimus; nec contigit nobis ea, quam imaginabamur animis, laetitia, cuiusque ipsa imagine inani pascemur, ut in hanc Urbem nostram venientem cerneremus, eiusque adspectu et praesentia fruere: sed cui tempori hanc laetitiam destinabamus spei nostrae pietate, eo ipso SVIS, nobis, Patriae vniuersae ereptum lugemus. Adeo nihil in rebus humanis absolute laetum est, et laetissimis quibusque repentini alicuius mali acerbitas interuenit, nec liquidum esse aut diurnum finit, quantumvis innocens ac pium, gaudium!

Quid primum aut maxime queramus ac miseremur, in tanto tamque multiplici dolore? Ipsum PRINCIPEM, post tantum interuallum, in amplexu SVORVM et Patriae communis receptum, vixdum degustato paterno gaudio, in prima spe et ipso conatu recreandae tot ex malis carae DOMVS et Patriae, repente occubuisse? an DOMVM AVGVSTAM, plenam adhuc pia laetitia et recepto tandem PARENTE OPTIMO, inter ipsa enixa studia exhilarandi natales regni atque vitae paternae, ad lugubria omnia redactam? an denique Patriam communem a desiderio absentis tam tristi de causa, tamque diu, PRINCIPIS OPTIMI, vix obliterato, ad longe acerbius desiderium sublatis de vita Parentis sui recidisse?

Sed omnia pariter miseranda sunt, luctuosissima omnia, nec ea subtili gradu discrimine distinguere sinit magnitudo doloris, qui animos nostros confundit. Nec vero satis dignum arbitramur tanti Principis memoria, in funere eius ita indulgere dolori, ut nihil nisi triste cogitetur, sola mortis acerbitas obuerfetur animis, vitae apte ad leniendum dolorem cogitandae nihil loci relinquatur. Facere hoc solent, quicumque vere carum sibi caput amiserunt, et sapienter lugere didicerunt, ut, posteaquam primi luctus ardor paullulum remisit, magis bonis eius cogitandis indulgeant, ut inde aliquid solatii et piae oblectationis capere possint, quam alant iacturae ipsius cogitatione moerorem ac foueant. Horum sapientem pietatem tanto magis imitandam arbitremur, quanto et verius et sapientius amauius amissum Parentem communem; praesertim hoc tempore, quod memoriae eius digne condecorandae consecrauit publica pietas. Et quoniam haec est veluti prolusio quaedam illius officii, cuius etiam rite peragendi demonstrationem ac cohortationem debet habere nostra haec ad vos, Patres ac Cives, oratio; videamus, si quid ad eam rationem pertinens Vobis cogitandum praebere possimus.



Cum in nulla alia re magis consentiant homines, quam in felicitatis persequenda studio et contentione; quod eius expetendae stimulos acerrimos subicit ipsa communis illa, semper sibi consentiens ac constans, natura: mirabile videri potest, tanta dissensione distrahi eorundem iudicia de felicitate humana, et partibus eius inter se comparandis, pensandisque singularum momentis; nec modo in vita priuatorum, sed etiam, atque multo magis, Principum; quorum res ut sunt in altiori fastigio positae, fortiusque ferunt sensus animosque humanos, ita plus ambiguitatis faciunt, et in diuersa rapiunt iudiciorum humanorum, siue potius opinionum, leuitatem. Socratis discipulis, hominibus doctis et in veri iudicio exercitatis, accidit hoc, auctore Cicerone, ut, cum vno magistro vti essent, tamen in summi boni iudicio valde discreparent, cum singuli Socratis auctoritate niterentur; propterea, quod Socrates alio tempore aliud vitae humanae bonum laudans varie adfecisset animos audientium, effectque alius alio sermone magis captus ac delinitus. Itaque fortasse tanto minus illa, quam diximus, dissensio mirabilis debet videri, quanto potentius ferire solet rerum ipsarum, praesertim sensibilem, vis, quam verborum in umbra scholae lenis subtilitas.

Vniuersae quidem felicitatis summam, quantum nos vel legendo vel audiendo cognouimus, nulla cuiquam attribuere sustinuit assentatio, verecundia quadam, ut opinamur, sensus communis, qui absolutam et expletam omnibus paribus felicitatem sine haesitatione abiudicat generi humano. Etiam *Felices* cognomen raro vel adsciuit vanitas, vel attribuit adulatio. Croesi ambitio in felicitatis nomine et principatu adpetendo, primum sapientis viri oratione, mox rebus ipsis reuicta est: et speciosius ac probabilius *Magnos, Pios, Seruatores, Euergetas, Callinicos etc.* praedicari putabant, quos cognominis honore insignes reddere cuperent, quam *Felices*. Apud Graecos quidem, ad adulationem sub Regibus abiectissimos, nunquam id cognomen in Regum honoribus est vsurpatum; apud Romanos autem, libera Ciuitate, vni et primo Sullae inditum (*Plin. H. N. VII, 43.*) initio facto ab familiari assentatione. (*Liv. XXX, 45.*) Sub Caesaribus magis frequentatum publice, reperimus, sed seculis deterioribus, in immensum aucta adulatione, inde ab Commodio. Ei primo senatus decretum attribuit, Perennio occiso, (*Lampriid. Comm. 18.*) idque ipse, captus inani nominis specie, in epistolis (*Dio Cass. LXXII. p. 324.*) et in numis titulisque vsurpauit.

Sed quibus Principum felicitatis laudem tribuit vetustas, in iis, etiam cum adulatio intercessit, tamen non vniuersae vitae summa, sed pars aliqua valuit, in qua quid supra vsitatorum exemplorum modum, praesertim in bellis gerendis, et in potentia comparanda, successisset; ut in Alexandro, cuius figuram pro felicitatis signo gestauit in annulo Caracalla; ut in Sulla, de quo supra dictum;

vt in Augusto, cuius felicitas inter omina nouis Imperatoribus commemorata: vt in ceteris, qui hac felicium censura aestimantur. Nam in his, quos commemorauimus, ipsis quanta exempla pariter ediderit fortuna aduersa, longum et superuacuum est referre, et in Augusto longa serie adnumerat *Plinius l. c. 45.*

Enimvero si qua pars rerum humanarum digna est felicitatis nomine, a qua recte felices, vt in hac imperfectione humana, adpellari possint, ea certe existimari debet, quam Graeci vocant *εὐτυχίαν*, sobolis praeclarae copiam, praesertim in Principe, cui nulla videtur maior, et pulchrior, et amabilior, et suauior, denique etiam gloriosior felicitas posse contingere. In quo genere rararum felicitatis exemplo commemoratur Macedonicus Metellus, Ciuitatis Romanae princeps, de quo verissime *Velleius*, in primi vndecimo capite: *Vix vllius gentis, aetatis, ordinis hominem inueneris, cuius felicitatem fortunae Metelli compares. Nam - - - quatuor filios sustulit; omnes adultae aetatis vidit; omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui eius lectum pro Rostris susulerunt quatuor filii; vnus Consularis et Censorius, alter Consularis, tertius Consul, quartus Candidatus Consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis, feliciter de vita migrare, quam mori.*

Priuatorum quidem homines, nemo dubitat, inter bona sua primo loco censere liberos, ad eos cetera sua omnia referre: his maxime viuere velle; his laborare; cum his partiri fructum rerum omnium; his parcos esse; his reponere; quae, defraudantes saepe genium, reliqua fecerint; his relinquere sua cupere; his eorumque posteris saepe per omnia testamentorum vincula adstringere; horum bonis, virtute, fortuna, magis quam sua, laetari; denique, si viuos, in rebus secundis, certe bona cum spe, relinquere possint, etiam aequiori animo a vita discedere. Vidimus senem morientem, iam captum lingua, circumstante lectum numerosa sobole, de qua bonam spem habuisset, cum admoneretur, adesse liberos ipsius omnes, periculo patris congregatos, excitatum ea voce attollere oculos iam grauatos morte propinqua, et lente circumspectis ex ordine omnibus, leniter arridere; vt etiam in illo vltimo articulo, in quo rerum humanarum omnium vis ac sensus perit, tamen adhuc liberorum bono moueretur, et eius sensus suauitate mortis acerbitas vel leniretur vel exstingueretur. Adeo etiam *εὐδαιμονίας* pars est in libris bonis relinquendis: quanto igitur magis vitae beatae in fruendis. Mortuorum autem parentum verissimum et pulcherrimum ornatum (*καλλίστη ἐντάφια*, vt ille libertatem, quacum moreretur, appellabat.) quis dubitet esse in iis, in quibus viuorum maximum decus esse, mater Gracchorum vere et sapienter iudicabat.

Sed in Principibus sunt eadem fere omnia, atque etiam alia, tanto illa maiora, quanto etiam sunt cum republica coniunctiora. *Munimenta imperii* bene *Tacitus* (*H. IV, 52.*), *aulae subsidia* *Suetonius* (*Cal. 12.*) appellat Principum

pum liberos; quae pari iure vniuersae reipublicae subsidia et decora appellemus licet. Nam et ad Principum ipsorum non modo dignitatem, sed saepe etiam securitatem valent, et reipublicae vniuersae per eos multis modis caetur; quae raro sine periculo aut multis magnisque incommodis sine liberis Principem habet. Principibus quidem ipsis natura est carior, si eam ex se genitis sunt relaturi. Quanti autem Principibus sit, habere sobolem bonam, quae in spem imperii adolescat, vel adoleuerit, quantum in iis bonum esse censeant, non eget demonstratione. An vero dubitamus, quin Croesus omnibus suis de Graecis victoriis libentissime redempturus fuerit filio, vel loquelam viuo, vel vitam mortuo? Augustum Caesarem autem quanti aestimatum fuisse putamus, si imperium relinquere potuisset ex se nato potius, et simili huic, cui A V G V S T V S noster Saxoniam reliquit, quam Tiberio, hostis quondam filio, et Domino auaro ac superbo? vt qui etiam miser sibi, vt erat, videbatur, quod nepotes et heredes suos aut acerba morte amiserat, aut ob vitia intoleranda amouerat ab se et ab spe potiundi imperii, quod ipse pulcherrimum effecerat. Nam si quis referre se ad illud Epaminondae, Ciuitatis Thebae principis, velit, qui obitanti, quod liberos nullos relinqueret patriae, ac ex se natam relinquere, respondit, victoriam Leuetricam: primum in eo argutum solatium potius fuit orbitatis, quam ignorantia aut contemptus illius felicitatis; ac longe plus atque in longius tempus profuissent patriae filii, ad paternae sapientiae, moderationis et fortitudinis imitationem eruditi et conformati, quam victoria ea, quae, quamuis illustris, in perpaucos modo annos profuit.

Arbitramur, Vos intelligere, *Patres ac Ciues*, quo spectet haec disputatio nostra, quam longiorem esse non finit instituti ratio. Cupimus animos Vestros imbucere cogitationibus iis, quae et PRINCIPI nobis adempto sint gloriosae, Vobis autem memoriam EIVS commendatiorem amabilioremque reddant, inprimisque incendant studium exsequiarum Regiarum omni ratione celebrandarum. Alii populi Principes suos pro felicibus celebrent, qui, finibus imperii late propagatis, victoriis multis a potente hoste reportatis, multis novarum prouinciarum titulis, ac spoliis multorum populorum onusti decessere; si ipsi inter illa tot felicia feliciores facti sunt, aut propter ea melius in posterum sibi ac suis sperare coeperunt: nobis A V G V S T I nostri felicitas placet, verissima illa et plena veri atque integri decoris, quae diuino munere accepta, sapientia IPSIUS seruata et aucta, quae nullius vel iniuria vel incommodo triftis, nullo sanguine cruenta, laetissima IPSI, laetissima Patriae fuit, tanto laetior, *Patres ac Ciues*, quanto eum vtilitate ac salute nostra copulatur. Haec est in pulcherrima illa et felicissima prolis Regiae copia, cuius paucissima exempla omnis memoria antiqua et noua habet. In qua commemoranda nefas fuerit praeterisse fecunditatis felicissimae Matrem Regiam, et illius tantae felicitatis

A V G V .



AVGVSTO Sociam, MARIAM IOSEPHAM, Reginam, quam inter medias belli tempestates morte repentina sibi ereptam, etiamnum luget grata Patria, lugebitque, quoad meminerit.

Iam quantam, quam perennem paternae ac regiae laetitia materiam habuerit hic pulcherrimus liberorum regionum chorus, quantam gloriae ad posterorū mansuræ, quantam vtilitatis publicæ, vix vlla oratio possit adsequi. Etenim in illo pectore, quod et naturæ ipsius rara bonitas, et multo magis singularis pietas, indulgentia, lenitas, æquitas, ad omnem sensum humanitatis emolliuerat, quantam voluptatem habuisse putemus vel adspectum talium liberorum suorum, vel cogitationem ingeniorum, virtutum, pietatis erga se, fortunæ denique præsentis et futuræ? Non est profecto credibile, aliud vel maius vel par lenimentum curarum et luctus habuisse in illo concursu malorum publicorum, in illo præsentissimo ex absentis Patriæ miseris et periculis dolore, quam hanc domesticæ felicitatis cogitationem, vel petitam solatii causâ, vel sponte oblatam. An vero potest esse obscurum, quomodo adfici solitus fuerit gloria DOMVS suæ, quæ populis Principes, copiis militum Duces mitteret, quæ Sicilia Hispanisque Reginam dedisset, Franciæ Reginam futuram, et ex his nepotes haberet, alium iam Regem, alios potentissimorum toto orbe regnorum futuros Reges, Bauarico porro Electori Coniugem, et, quod super omnia est, in qua esset HERES FILIVS, ea sapientia, virtute, eo animo in Patriam, NVRVVS denique, et se Socero, et tali Coniuge, genere, ingenio, sapientia et virtute dignissima, per quam etiam tot nepotibus ac neptibus felicissime aucta REGIA DOMVS esset.

Et quoniam parentes permagnam felicitatis suæ partem iure ponunt in liberorum erga se amore et pietate, neque ea quicquam iis est suavius, præsertim in senectute, quæ maxime in ea adquisit: intelligi facile potest, quam felix hac parte senilis AVGVSTI Parentis aetas fuerit. Neque enim verisimile est, priuatum vnquam parentem, in cuius vita et spiritu esset totum liberorum patrimonium, magis earum suis fuisse, aut quamuis indulgentem, adeo cupide cultum ab liberis omni genere enixi obsequii. Id autem non ab simulatione officii, sed pietatis integerrima veritate profectum fuisse, cum aliis rebus doceri potest, tum maxime in morte REGIS luculenter patuit, quæ talem simulationem et inutilem fecisset, et aperuisset. Etenim testes sunt multi, qui vel necessaria de causa ei spectaculo adfuerunt, vel temere inter consternationem irruerant, ita morientis vel modo mortui adspectu adfectos fuisse, vt nemo sine miseratione videre, nemo lacrimas tenere posset. Vix picturæ exquisitum artificium exprimere illam speciem possit, nedum oratio. Alii caput labans attollere: alii manus tenere, osculari manantibus lacrimis, si quid motus vitalis simile a venæ sectione, a frictionibus appateret, gaudium lacrimis miscere: alii exanimis concidere:

FK 7d 2003

X345.6894

dere: in his **NVRVS REGIA** medicos fatigare, vt medicamenta darent: cum negarent viuere, at darent; velut retractura fugientem animam, et, si posset, uiuere coactura Patrem. Haec et his familia quam plena profunda pietatis! quam gloriosa Patri, gloriosa liberis! Non hoc fuit verissime, vt *Velleus* de Metello dixit, *magis feliciter de vita migrare, quam mori?*

Sed in primis regalis, vt voluptas et gloria, ita felicitas est ea, in cuius communionem venit Patria, hoc est, eadem publica. Dubitabimus igitur, Felicem praedicare **PARENTEMPATRIAE**, qui Saxoniae suae ac Cuius suis Principem ac Dominum reliquerit, qualem fingant cogitatione et optent votis, qui sapienter fingere et optare velint? cuius imperii omen felicissimum habuimus pacem nuper per ipsum factam, pignora autem habemus multa et magna tum ante susceptum imperium, tum in ipsis his initiis decreta et facta.

Sed laudandi noui **PRINCIPIS** aliud tempus et alius locus erit: nunc de Patre **AVGVSTO** agitur, cuius memoriae iustus honoribus condecorandae officium indicimus. Eius autem laudum partem nobis attingere visum est eam, quae et amabilis esset inprimis, et animos nostros maxime incenderet ad officium illud summo studio peragendum, quod etiam sola noui et exoptatissimi **PRINCIPIS** nostri voluntas nobis ita commendare debet, et commendabit utique, vt eo nihil sanctius videatur. Ceteras laudes, plurimas et maximas, commemorabit generosissimae gentis Iuuenis, idemque studiis doctrinae perpolitus, *Carolus Guilelmus Caroluicius*, *Eques Milnicus*, qui Oratione **Panegyrica** in aede Paulina recitanda memoriam **REGIS ET PARENTIS PATRIAE** optime meriti animis nostris commendabit. Ad eam igitur audiendam, et celebrandum adeo solenne exsequiarum officium, vt proximo die Martis, qui erit **xxii. Nov.** hora **ix.** *Illusterrimi Comites, Vtriusque Reipublicae Proceres, et Cuius ceteri, genere, ingenio, doctrina nobilissimi*, frequentes in aede S. Nicolai adsint, meque ducentem pompam in aedem Paulinam sequantur, etiam atque etiam rogo. A meridie etiam hora **ii.** frequentiam praestabitis pro Concione, eadem in aede, dicturo super Iesae **LIV. 8.** Collegae nostro Venerando *D. Christiano Augusto Crusio*, et, precibus pie et religiose faciendis, primum gratias ageris pro beneficiis, quae Deus Patriae nostrae, huic Academiae et Vrbi, per tot annos, sub Principatu beatissimi **REGIS** indulsit, deinde nouo huic Principatui, de quo tam praeclare iustissimis de causis speramus, pacem perpetuam, tranquillitatem, secunda omnia impetrabitis. **P. P. Domin. xxv. p. Trin. a. C. cicsccclxiii.**



h. ii, 32.

Vd
2003

AD
IVSTA FVNEBRIA
 SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
 PRINCIPI ET DOMINO
 DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
POLONIARVM REGI

MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE,
 MASOVIAE, SAMOGITIAE, KYOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE,
 PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE ET SCHERNICOVIAE,
 DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE ATQVE MONTIVM, ITEM ANGRIAE
 AC WESTPHALIAE, SACRI ROM. IMPERII ARCHIMARESCHALLO ET ELE-
 CTORIS THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, ET SVPER-
 IORIS LVSATIAE, BVRGRAVIO MAGDEBVRGI,
 COMITI DIGNITATE HENNEBERGAE, COMITI MARCAE,
 BARBY ET HANOVIARVM, DYNASTAE
 IN RAVENSTEIN

AC NVTRITORI SVO
 NDAM CLEMENTISSIMO
 PATRI INDVLGENTISSIMO
 NVNC DESIDERATISSIMO

AB
DEMIA LIPSIENSI

XXII. NOV. A. R. G. CIOIDCCCLXIII
 HORA IX.
 LO PAVLINO PERSOLVENDA
 INVITAT
ADEMIAE RECTOR.

LIPSI AE
 EX OFFICINA LANGENHEMIA

